

typum ostendit ex verbis Euangelij, vt fiat secretò. 3. In hoc opere præstando cauendum esse, ne sciat sinistra quid faciat dextera. Vbi multa de malis sinistra, & de bonis dextera, & quid per vtramque intelligatur. 4. Declarat quàm multum contra diabolum valeat pœnitentia. *Tom. 2. Bibl. PP. edit. tertie Parisiens. à colum. 354. ad 364.*

S. LEONIS sermones quinque de eleemosynis & collectis. In quorum primo quosdam eleemosynarum fructus refert, & ad pauperibus largiendum cohortatur. In secundo eleemosynam dicit lauacrum secundum à peccatis; ipsa enim peccata extinguuntur; & opus probat maximæ charitatis. In tertio ostendit opera bona, præsertim verò eleemosynam exercuciare diabolum. In quarto agit de salute hominum per eleemosynam: Diaboli astutiam & malitiam in deceptione generis humani detegit, cum multis quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem: sed cum ad salutem non sufficiat confessio laborum, laborum exercitium est assumendum, & misericordiae operibus instanter incumbendum, ipsa enim sunt quæ saluant hominem, & extremi iudicij non experiuntur furorem; Denique institutionis collectarum originem profert; & ad verecundis pauperibus subueniendum, hæreticosque sacerdotibus prodendos, hortatur. In quinto eleemosynarum bona recenset, & virtutes omnes sine misericordiae operibus non prodesse, docet. *à col. 10. ad col. 17.*

Eiusdem sermo de laude charitatis, & de offensis remittendis, animas nostras deitatis esse habitaculum dicit; quas deo ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatas, & omni ornatu virtutum decet esse condecoratas; erunt autem perfectæ in singulis, si obtineant communionem decoris; communionem verò habebunt pulchritudinis, si sint in connexionem charitatis; at tunc erunt in connexionem charitatis, cum cunctos amicos, & inimicos dilexerint. Ad hanc autem dilectionem, & erga pauperes misericordiam

A prouocat. *Ser. 10. de quâd. c. 124. c. seq.*

* B. THOMÆ A VILLANOVA sermo. I. docet præcepta Dei, & hoc præsertim de inimici dilectione, impossibilia non esse. II. ad hoc duo in hoc mandato distinguit; vnum præcepti, aliud consilij. III. quia in Psalmis imprecationes fiunt, contra inimicos, ostendit quos inimicos diligere, quos odisse debeamus. IV. Inuitat ad dilectionem inimicorum, quod vtilitatem ex eorum persecutione sumamus; & quod beneficiendo victores illorum sumus. V. Addit alias rationes quibus id persuadeat. 1. quod Deus ita vult, præcipit & gratum habet. 2. quod sumus Christiani in schola Christi, & eius imitatores. 3. quod estò quis te iniuste persequatur, tu tamen iuste pateris prodemeris, Deo ordinante. 4. quod mala & damna incurrimus ex odio inimicorum; quæ quatuor esse constituit. Omnia opera bona inutilia reddit. Internam excitat in anima persecutionem. Vexationem continuam mouet. Gloriæ iacturam causat. 5. quod dilectio inimicorum plurimum vtilitatum causa est. *à fol. 40. col. 2. ad 43. col. 2.*

SABBATO CINERVM.

* S. ANTONII DE PADVA sermo in tres partes distinctus. Prima: Discipulorum in mari periculò propter sex causas, & hominum, in mundo, qui mari simili explicat. Secunda. Duas naues, innocentiam & pœnitentiam, esse probat; & ex secunda ad primam perueniri, pœnitentiam, ad innocentiam & saluationem necessariam. Tertia. Ostendit tentationis modum, tentat enim diabolus per viam amoris, vt homo experiatur in expertus; laboris, vt dimittat bonum inceptum; torporis, ne seipsum affligat, humilitate vel icuipio; pudoris vt bonum differat, spem vitæ proponit. *à p. 141. ad p. 143.*

* S. BERNARDINI SENENSIS sermo in Euang. in quo rationes quare aduersa dentur iustis profert. Primo: Dantur pro medicinâ i. purgatiuâ offensionum, affectionum, consuetudinum: 2. præseruatiuâ, & remouente